10.

S. D. Doctissime David profuisse magistro Henrico commendationem apud te meam, et consecutum ea quod volui, scilicet ut amanter complexum admitteres ad amicitiam tuam laetor, deque ista humanitate tua eximia et erga me benevolentia perpetua gratias tibi ago reverenter. A me siquid gratum fore tibi tuis in animadvertero, praestabitur verissime summo studio. Socer meus aberat M Benedicto discedenti, accersitus Dresdam ad deliberationes actiras de Ecclesiarum inspectione, quam ut necessariam in his terris, ita hoc turbato et exulcerato seculo in tanta iudiciorum et opinionum dissensione, ac distractione voluntatum periculosam esse existimo. Quae fuerint decreta in ea consultatione et statuta ipse fortassis ubi redierit significabit. Mitto themata, quae disputanda schola nostra exposui. In altero studui confusam de potentiis in homine doctrinam explicare. In altero ostendere causas succini et differentiarum multiplicium. In utroque quantum praestiterim tibi et aliis eruditis aestimandum relinquo. Bene vale 12 februarij

Caspar peucerg

18

20.

Clarissimo Viro
doctrina & virtute
praestanti D. Davidi
Chytraeo professori
in Academia
Rostochiana
amico suo colendo.